

rem: Lucianum nostrum, rem difficillimam aggressum, et non solum ridendo verum dicere, sed etiam ridere et serio dicere ac reprehendere conantem, passim rem male gessisse, et quum risum seriis temperare vellet, frigus quoddam et nescio quid languidi induxisse: tamen ne nunc quidem consilii mei me poenitet, praesertim quum a re, in qua versatur, nostra etiam aetate, qua extiterunt, qui de ratione et disciplina historiae nouo quodam modo, et eo, vt opinor, haud satis probabili statuerent, hic libellus commendabilis mihi esse videatur. Nesciens autem, hanc dissertationem in collectione variorum Luciani libellorum, quae Halae, initio huius decennii, prodiit, contineri, consilium etiam cepi separatim eam edendi; et ab initio quidem non id erat in animo, quod praestiti, nudam enim fere, et tantum non omnibus lectionibus variis destitutam emittere decreueram. Sed quum vsu satis essem edoctus, parum effici lectionibus philologicis, nisi habeant auditores, maxime in Academiis, materiam paratam, qua destituti alii multos errores in commentarios referunt; alii, scribendi siue molestiam siue pericula fugientes, multa scitu vtilia, ad legitimam interpretationem pertinentia, et ad accuratam linguae cognitionem necessaria, praeterlabi patiuntur: consilium meum ita mutauit, vt materiam, in qua versari debeat enarratio, typis exscriptam auditoribus offerrem. Neque enim aut verendum erat, ne ita libelli